attinet scire utrum *ceperas* an *caeperas* an *coeperas* scribae dederint, qui semper *poenae*, *poene*, *paene* et *pene* confundunt. Satis superque est singula errorum genera, quae omnibus libris communia sunt, semel diligenter notavisse iisque observationibus pro re nata scienter et sollerter uti. Nonne putidissimum est admoneri, ubi Cicero dixit § 47 *doce sequestrem Plancium fuisse*, in libris esse *doces. equestrem* vel *doces aequestrem?* et omnia alia his similia innumerabilia de genere orthographico, quae nullum omnino usum habent? Quis tandem nescit aut negat librorum testimoniis in tali re stari non posse? Quo magis miror in § 28. *scaenam* pro *scenam* receptum esse ex iis libris, qui tamen paulo post in *scenicos* conspirant. Eodem iure *aeques* et *aequester* recipi possint. Quum sit tam facile in talibus aurum e scoria et ex stercore gemmas colligere, cur non id abiicimus, quod omnes fastidimus et contemnimus?

C. G. Cobet.

HERODOTUS III. 53.

Inepto emblemate liberandus est locus Herodoti III. 53 ubi editur: *τὸ τρίτον ὁ Περίανδρος κήρυκα πέμπει βουλόμενος αὐτὸς μὲν ἐς Κέρκυραν ἥκειν, ἐκεῖνον δὲ [ἐκέλευε] ἐς Κόρινθον ἀπικόμενον διάδοχον γενέσθαι τῆς τυραννίδος.* Librarii non capiebant quo pacto *αὐτὸς μέν* et *ἐκεῖνον δέ* componi possent, itaque huiusmodi locos variis modis interpolabant, ut multis exemplis ostendimus in *Nov. Lectt.* p. 237 sq. Quis admonitus non videt sciolum *ἐκέλευε* de suo addidisse et sic compositionem loci plane pessumdedisse?

C. G. Cobet.